



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 43. Bolognetti Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul XVI.
A.C. 1585.

lensem Ecclesiam variis structuris, atque ornamentis magnifice illustrabat, atque Episcopale Palatium proprio ære construi curabat, ibidemque celebrata Synodo decreta ad morum, Cleri, & populi emendationem oppido salubria condebat, simulque bina Collegia in sua Metropoli instituebat; tandem vero Romæ, cum septem duntaxat horis infirmus decumberet, die vigesima sexta Maji Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quinto, ætatis vero suæ anno quinquagesimo nondum expleto obiit, corpusque ejus in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris prope Patru sui monumentum terræ mandabatur.

§. XLIII.

Bolognetti Cardinalis decessus.

Cic. tom. 4. pag. 95. Pomp. Viz- zani in hist. Bon. Ughel. l. 6. Inter Cardinales hoc anno defunctos tertius erat Albertus Bolognettus patria Bononiensis exeunte Mense Julio anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo octavo natus. Hic Gabrielis Galeotti postea Cardinalis magisterio usus adeo præclarum in jurisprudentiæ studio nomen sibi comparabat, ut ab omnibus maximi habitus etiam a Gregorio XIII. Papa Romam accerferetur, & primo utriusque Signaturæ Referendarius constitutus, ac dein Sedis Apostolicæ apud Florentiæ Ducem,

Sæcul. XVI.
A.C. 1585.

cem, & Venetam Rempublicam Nuntius, Massæque Populoniæ Episcopus renuntiatus fuit: cum vero Florentiæ Nuntii Apostolici munere fungeretur apud Franciscum Magnum Hetruriæ Ducem, Philippum Cosmam ejusdem Francisci Magni Ducis Filium sacro initiavit baptisinate: tandem ad Stephanum Bathorium Poloniæ Regem ablegatus, in Presbyterorum Cardinalium Collegium absens adscribebatur a Gregorio XIII., qui anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo tertio septima jam vice Cardinalium numerum auxerat: Albertus autem usque ad annum a Christi nativitate millesimum quingentesimum octogesium quintum in Polonia moratus ubi Gregorii XIII. obitum comperit, novi Pontificis electioni interfuturus Romam contendit, verum in itinere febris correptus Wilachii Carinthiæ oppido subsistere cogebatur, ubi etiam die vigesima tertia Maji hoc anno animam Deo reddidit, annos natus quadraginta sex, novem Menses, ac viginti dies, corpusque ejus paulo post in Italiam delatum in Ecclesia sanctæ Mariæ, quam fervorum vocant, in suorum Majorum tumulo positum quiescit.

Y 2

§. XLIV.